



Adolphus Holsatiæ comes in adolescētia sua bonis literis operam dedit, atq; oēs reliquos suæ conditionis homines longè superauit. Vir aut factus uxorem duxit, et liberos procreauit: deinde rerum bellicarū usu magnā sibi apud finitimos auctoritatem comparauit, idq; circa annum Domini 1240. Inter alias uerò uirtutes erat etiā religioni adiectissimus. Accidit autem ut ei grande bellum cū potenti hoste immineret. Itaq; iamiam cum hoste acie decertaturus uoto sese astrinxit, ut si Deus omnipotens uictoriam patriæ suæ permitteret, sese ordinem Franciscanorum recepturum. Hac enim ratione persuasum fuerat eius seculi hominibus, se se commodissimè Deo inseruire posse. Propterea memorabili uictoria potitus, statim tribus filijs & una filia in comitatu suo relictis, alijsq; rebus civilibus optimè constitutis, omnia reliquit, atq; paupertatem Christi emulaturus Minoritarum uestem induit, & ordinem eorum ingressus uotū soluit. Factus est autem frater laicus, & in die S. Hyppoliti monasterium Frāciscanorum Hamburgi ingreditur. Cum autem in literis optimè institutus esset, sedulò cogitare cœpit, qua ratiōe ad sacros ordines peruenire, atq; sacerdos fieri posset. Ergo permittente suo Guardiano Romam abiit, ubi etiam, Innocentijs 4. pontificis dispensatione, sacerdotij dignitatem consecutus fuit.